

[Liber decimus]

[fol. 194v° b]

INCIPIT LIBER X¹ DE DIABOLI CIVITATE *

Postea² uidi alium angelum *descendentem de cęlo, habentem potestatem magnam ; et terra inluminata est a claritate eius, et clamauit in fortitudine dicens : Cędidit Babilon illa magna, cędidit et facta est habitaculum dęmoniorum, et custodient³ omnes aues⁴ inmundę, et spiritus inquinati eam⁵, quoniam ex uino fornicationis eius biberunt omnes gentes ; et reges terrae cum ea fornicati⁶ sunt, et mercatores terrae ex uirtute gloriae eius diuites facti sunt. Et audiuit, inquit, aliam uocem dicentem : Exite de ea popule⁷ meus, ne communicetis peccatis eius, et plagis eius ne ledamini, quoniam ascenderunt peccata eius usque ad cęlum, et recordatus est Deus iniquitatum⁸ eius. Reddite illi, sicut et ipsa reddidit uobis, et duplicate dupla secundum opera eius ; et⁹ in poculo in¹⁰ quo miscuit*
[Ap 18,1-6]

[Un folio a été supprimé entre les fol. 194 et 195 ; il devait comporter, au verso la partie gauche de l'illustration du folio 195, au recto la suite du texte, restituée ici d'après l'édition de Sanders, p. 576-578] :

miscete illi duplum. **7** quantum se clarificauit, et indeliuauit, tantum date ei cruciatum et luctum. quoniam in corde suo dicit : sedeo regina, et uidua non sum, et iuctum non uidebo ; **8** propterea in uno die ueniunt plagae eius, mors et luctus et famis, et igni concremabitur ; quia fortis Dominus Deus qui iudicabit eam. **9** et flebunt et plangent super eam reges terrae, qui cum ea fornicati sunt, cum uiderint fumum incendii eius. **10** a longe stantes propter metum penaee eius, dicentes : uae, uae, ciuitas magna Babilon, ciuitas fortis ; quoniam una hora uenit damnatio tua. **11** et mercatores terrae flent et lugent super eam, quoniam merces eorum nemo emit iam ; **12** merces auri et argenti, et lapidis pretiosi et margaritis, et bissi et purpurae,

* **LÉGENDE : Caractères rouges :** • Les petites capitales grasses rendent les titres en capitales rehaussés de couleurs diverses – rouge, mais aussi jaune ou bleu. • Les petites capitales non grasses rendent les titres en capitales rouges. • Les grandes capitales grasses en corps supérieur rendent de grandes initiales rentrantes rehaussées de couleurs diverses. • Les caractères normaux rendent des caractères rouges normaux.

Caractères noirs : • Les petites capitales non grasses rendent les titres en capitales noires. • Les initiales grasses rendent des initiales noires rehaussées de jaune, de bleu ou de rouge. • Les textes en italiques représentent des citations du Livre de l'Apocalypse qui n'ont pas été transcrites en caractères rouges.

1. .X. écrit en interligne.
2. Initiale rehaussée de couleurs rentrante sur cinq lignes.
3. custodia corr. en custodient par surcharge et nt suscrit.
4. omnis auis corr. en omnes aues.
5. inquinatae corr. en inquinati eam.
6. cum ea for écrit sur un texte gratté plus long.
7. populus corr. en popule.
8. es final corr. en um.
9. et ajouté en interligne d'une autre encre.
10. in ajouté en interligne d'une autre encre.

et serici et coccini ; et omne lignum cedrinum, et vas eburneum, et omne vas ex ligno pretiosissimo, et aeris, et ferri, et marmoris ; **13** et cinnamum et amomum et odoramenta, et unguentum et thus, et vinum et oleum, et simulam et frumentum, et iumentum et pecora, et equorum et redarum, et canum et animarum hominum. **14** et poma concupiscentiae animae tuae abierunt a te, et omnia pinguia et splendida perierunt a te, et amplius eam non inuenies. **15** mercatores horum, qui ditati sunt ab ea, a longe stabunt, et flentes, et lugentes, **16** et dicentes : vae, vae, civitas magna, induta byssinum et purpura et coccinum, et ornata auro et lapide pretioso et margaritis ; **17** quoniam una hora desertae sunt tantae divitiae. et omnis gubernator, et omnis qui in navibus navigat, et nautae, et quotquot mare operantur, a longe steterunt, **18** et clamaverunt, videntes fumum incendii eius, dicentes : quis similis civitati illi magnae ? **19** et miserunt pulverem in capita sua, et clamaverunt, flentes et lugentes : vae, vae, civitas illa magna, in qua ditati sunt omnes qui habent naves in mari ex caritate eius ; quoniam una hora deserta est. **20** exultate, caelum, super ea, et sancti apostoli et prophetae, quoniam iudicavit Deus iudicium de illa [Ap 17,6-20].

[fol. 195 a] *Partie droite de l'illustration : Le feu de Babylone* (Ap. 18, 1-20), dont la partie principale devait sur trouver au verso du folio disparu.

Trois registres. Registre supérieur : 5 rois affligés.

Registre médian : 5 princes montrant du doigt la partie manquante de l'image.

UBI REGES TERRE ET PRINCIPES ET MERCATORES LUGENT CIUITATEM BABILONE.

Registre inférieur : trois marchands affligés.

[fol. 195 b]

INCIPIT LIBER DECIMVS ::: EXPLANATIO SUPRA SCRIPTE STORIAE ::

Postea ¹¹ uidi alium angelum de celo descendentem, habentem potestatem magnam ; et terra inluminata est a claritate eius, et clamauit in fortitudine dicens : **Cecidit cecidit Babilon illa magna ; et facta est habitaculum demoniorum, et custodient** ¹² **omnes aues** ¹³ **inmundę et spiritus inquinati eam** ¹⁴ [Ap 18,1-2].

Angelum quem dicit descendentem de celo, Dominum nostrum Ihesum Christum dicit carnem ¹⁵ adsumptum et corpori ¹⁶ Aecclesie suę coniunctum.

Ciuitas ¹⁷ Babilon ipsa est quam supra diximus mulierem et bestiam et reges terrae, id est ciuitas diaboli, quę facta est habitaculum demoniorum, et omnis auis inmundę.

Numquid si omnis mundus non esset haec ciuitas diaboli, potuerat perspicuae in una ciuitate omnes demones et omnes aues in unius ciuitatis ruinam congregari ? Sed haec ciuitas, totus mundus est.

11. Initiale rehaussée de couleurs rentrante sur cinq lignes.

12. custodia corr. en custodient par surcharge et ent suscrit à l'encre noire.

13. omnis auis corr. en omnes aues à l'encre noire.

14. inquinatę corr. en inquinati eam.

15. in carne corr. en carnem.

16. s final gratté.

17. ciuitatem corr. en ciuitas.

Nulla est itaque ciuitas que omnem animam inmundam capiat, nisi ciuitas diaboli, in qua omnis inmunditia per orbem conmoratur, sicut dicit :

Quoniam ex uino fornicationis eius, biberunt omnes gentes. *Et reges terrae cum ea fornicati sunt* [Ap 18,3] ; id est unus alterum [fol. 195v° a] in malum immitando, quia non est alius cum quo mali peccent. **Et mercatores terrae ex uirtute glorię eius diuites facti sunt** [Ap 18,3]. Hoc loco diuites non rebus, sed peccatis dixit. Nam nimietas luxuriae pauperes potius quam diuites facit. Quia et opera iustorum diuitię dicuntur, ita et opera impiorum rerum diuitiae sunt. **Et audiui, inquit, aliam uocem de cęlo dicentem.** *Exite de ea popule*¹⁸ *meus, ne communicetis peccatis eius, et plagis eius ne ledamini* [Ap 18,4] plenius ; hic ostendit Babilonem in duas diuisam esse partes, id est in¹⁹ populum²⁰ Dei et populum²⁰ diaboli ; externam intestinam ex qua munitus Dei ętiam praespiciuae descendet populus sanctus, qui semper ex ea spirituali²¹ animo discedit²². Et exit custodiendo obseruationem pęceptorum Dei, sicut per ęsayam dictum est : *Exite de medio eius et separamini qui fertis uasa Domini, et inmundum nolite tangere. Vasa Domini ferunt, qui animas suas ab omni inquinamento iniquitatis custodiunt. Et cum nil mali dicto facto uel cogitato penetrantur, inmundum tangere non dicuntur, et tunc a*²³ *Babilone*²⁴ *exire creduntur.*

In domo autem magna non sunt tantum uasa aurea et argentea, sed lignea et fictilia. Et quedam sunt in honore, quedam in contumelia. Si ergo quis mundauerit se ab his malis, erit uas [fol. 195v° b] in honore sanctificatum utile Domino ad omne opus bonum paratum. Quod autem dixit *ne communicetis peccatis eius, et plagis eius ne ledamini* [Ap 18,4], ideo ne faciatis quod illi fatiunt, quia scriptum est. Iustus quacumque morte praeoccupatus fuerit, anima eius in refrigerio erit. Quomodo ergo particeps peccati esse potest iustus, qui²⁵ cum impiis ciuitatis casu abstulerit, nisi ciuitatis diaboli aperta discessione cęlebrata, notam bestiae portaturus insidat ? Tunc enim notam bestię unusquisque²⁶ portat, et cum malis communicat, cum una cum eis malitiae exercet opera.

Vt ergo frequenter dictum est Babilonem pro locis, et totum a²⁷ parte, et partem a toto²⁸ accipimus, quia aliquando pars pro toto intelligitur, et totum pro parte. Sicut tres dies quibus Dominus in inferno fuit, cum non sunt pleni tres dies, sed hos aperte plenos intelligimus. Ita et nunc Babilonem illam partem dicit, de qua apostolus exit ; nunc ipsam partem totum mundum. Quia intra²⁹ Aecclesia duos populos diximus unam Dei partem, et unam diaboli, quę Babilon uocatur. Et quia ab Aecclesia separatur cum gentilibus per omnem mundum communicare dicitur. Etsi aliqua ita dicta sunt, non tamen arbitror ut uideantur ętiam in

18. populus corr. en popule d'une encre plus claire.

19. in ajoutę en interligne d'une encre plus claire.

20. populus corr. en populum d'une encre plus claire.

21. ter et grattę devant animo.

22. descedet corr. en discedit.

23. a ajoutę d'une encre plus claire.

24. Babilonia corr. en Babilone.

25. quę corr. en qui.

26. i suscrit.

27. a toto corr. en totum a avec a suscrit.

28. a parte totum corr. en partem a toto.

29. Dęchirure du parchemin occupant la fin de la ligne.

spetiem posse conuenire, ut aperte uisum sit, que ³⁰ hec spiritualiter dicimus. Oportet ³¹ enim improuisum uenire diem Domini, qualiter his quorum e medio Ecclesia exiit gaudentibus improuisus ³² esse [fol. 196 a] non poterit, nisi signum decem regum et auerſe Babilonis ciuitatis, et aduentus Elię apertae futurum putent, que autem in spetiem conuenire non possunt, ipsa in hac perioca commemorabimus, quia haec specialiter diximus, quia et decem reges et, euersa Babilone ³³, hodie intelligendi sunt, id est de presentis tempore ; sed illi qui in hoc mundo spem habent, signum decem regum et aduentum Elię futurum esse denuntiant, cum et de praesenti euersa suam non considerant Babilonem ³⁴, de quorum ex medio dicit : *Exite de ea, popule* ³⁵ *meus, ne communicetis peccatis eius, et plagis eius ne ledamini. Quoniam ascenderunt peccata eius usque ad celum, et recordatus est Deus iniquitatum* ³⁶ *eius. Reddite illi, sicut et ipsa reddidit uobis, et duplicate dupla, secundum opera eius. In poculo in* ³⁷ *quo miscuit ; miscite illi duplum.*

Quantum se clarificauit et indeliciauit, tantum date ei cruciatum et luctum [Ap 18,4-7].

Populo suo dicit Deus : reddite ei, sicut et ipsa reddidit uobis. Cum enim mali aperte contra Aecclesiam surgunt, dupliciter moriuntur.

Unum, quod hic pro bono mala reddunt, alterum quod in iudicio ab Aecclesia separabuntur, et dupliciter pro facto tribulabuntur, et conterebuntur.

De Aecclesia enim exeunt in mundum ³⁸ plagę uisibiles, et inuisibiles. **Quoniam in corde suo dicit, sedeo regina, et uidua non sum, et luctum non uidebo. Propterea in uno die uenient plagę eius, et mors et luctus et fames, et igne crema-**[fol. 196 b]-**bitur** ³⁹ [Ap 18,7-8]. Si uno die morietur et cremabitur, quis erit uiuus qui lugebit mortuum ? Aut fames quanta esse potest unius diei ? Sed diem dixit breue tempus, quo ⁴⁰ et spiritualiter et carnaliter affliguntur. Regina se dicit sedere, quia in deliciis multum se extimat uiuere. Ecclesia uero in hoc mundo uidua dicitur, quia quasi uir suus, Christus absens esse peribetur, quia ad iudicium eam uindicabitur. **Quia fortis Dominus Deus qui iudicabit eam, et flebunt et plangent** ⁴¹ **super eam reges terre, qui cum ea fornicati sunt** [Ap 18,9]. Qui sunt illi reges qui eam plangent euersam, nisi ipsi qui euertuntur ? Quod enim est ciuitas, hoc et reges ; quia cum caro moritur, anima in infernum mancipatur. Tunc ciuitas euersa dicitur, quia iam plangunt non luxuriae que secunt peccant, sed ipsius uictus defectionem, *cum uiderint fumum incendii eius* [Ap 18,9], id est documentum perditionis, quia cum mala fatiunt, quamuis carne

30. qui corr. en que.

31. t final ajouté en interligne.

32. os final corr. en us par u suscrit sans suppression du o.

33. Babilonia corr. en Babilone.

34. Babilonia corr. en Babilonem.

35. us final corr. en e.

36. es final corr. en um.

37. in ajouté dans la marge d'une encre noire.

38. mundi corr. en mundum d'une encre plus claire.

39. cremabuntur corr. en cremabitur.

40. quod corr. en quo.

41. t finalajouté en interligne de la même main.

uiuunt, in anima mortui esse creduntur. Et non adhuc ignis futurus, sed fumus ipsius ignis in opere ostenditur. Fumus enim ignem prehiiit.

Quid enim aliud⁴² est crassatio ista mundi et adtrictio, nisi fumus instantis gehenne?

A longe stantes propter metum pene eius [Ap 18,10].

Longe stantes, corpore sed anima dum unusquisque sibi timet, quod alterum per calumnias et potentias pati uidet.[fol. 196v° a] **Dicentes ue ue ciuitas magna Babilon ciuitas fortis, quoniam una hora uenit damnatio tua [Ap 18,10].** Spiritus dicit nomen ciuitatis, utrum illi mundum plangunt paruo admodum tempore, penae interceptum omnemque industriam labefactam cessasse. **Et mercatores terre flent et lugent super eam [Ap 18,11].** Ipsi sunt mercatores, que⁴³ est ciuitas, lugent super eam, id est seipsam plangit. **Quoniam merces eorum nemo emet iam. Merces auri et argenti et ferri et cinnami et omnis ungenti et frumentum, et iumentum et peccora abierunt et amplius ea⁴⁴ non inuenies [Ap 18,11-14].**

Perierunt, inquit a te, nec amplius inuenies. Duplici genere dixit, quid defitient ista mundo moriente; si quidem et discessionem futuram⁴⁵ dicit, uel quod in finem sui⁴⁶ istis utuntur. Tam etsi superfluant, euersa enim ciuitate non diceret abierunt a te, sed abierunt ab illa. Nemo enim loquitur nisi cum uiuo; unde manifestum est uiuentes esse in hoc mundo dicere, abierunt a te, non aeuerse ciuitati. *Mercatores eorum, qui ditati sunt ab ea, longe stabunt flentes et lugentes et dicentes: ue ue ciuitas magna [Ap 18,15].* Cum enim malum fatiunt, mercatum facere dicuntur. Quia quantum plus peccant, tantum plus delictorum diuitias congregant. Quia haec ciuitas quomodo in fu-[fol. 196v° b]-turo erit arsura, iam nunc se in hoc mundo ad incendium preparat, et hec modo spiritualiter in anima ardere dicitur, qualiter in postmodum corporaliter ab ipso cumulo peccati⁴⁷ crucietur.

Induta bisso⁴⁸ et purpura et coccino, et ornata auro, et lapide pretioso et margaritis [Ap 18,16]. Haec homines induuntur, non ciuitas. Ipsi se itaque plangunt dum moriuntur, et a sui boni⁴⁹ expoliantur.

Quoniam una hora deserte sunt tante diuitiae, et omnis gubernator, et omnes qui in nauibus nauigant, et nautae, et quotquot mare operantur a longe steterunt et clamauerunt, uidentes fumum incendii eius [Ap 18,17-18]. Numquid omnis gubernator et nautae et quotquot mare operantur in hora⁵⁰ presentes esse poterunt et uideant incendium ciuitatis? Istos omnes quos nominauit saeculi amatores dixit, et cultores et operarios istius mundi, cum in malo labore uersantur, malum inde sperant. Pro ipsis⁵¹ dicit timere sibi uidentes spei suae ruinam.

42. t final corr. en d.

43. qui corr. en que.

44. m final gratté.

45. um final corr. en am.

46. s final gratté.

47. a final corr. en i.

48. bissinum corr. en bisso.

49. sua bona corr. en sui boni.

50. h écrit en interligne.

51. ipsos corr. en ipsis.

Quod autem dicit omnis in nauibus nauigans, non perspicue naues dicit, sed spiritualiter naues dicit, quecumque adquirendi genera in saeculo. **Dicentes : Quae similes ciuitati illi magne [Ap 18,18] ?** Id est non posse mundum integrum restitui. **Et miserunt puluerem in capita sua [Ap 18,19].** Capita sua, principes illorum sunt, per quos se diuites gloriantur, quibus praesentibus ista fiant principum merita iactantes.

Et clamauerunt flentes et lugentes : [fol. 197 a]

Ve ue ciuitas illa magna, in qua ditati sunt omnes qui habent naues in mari, ex caritate eius, quoniam una hora deserta est. Exultat celum super eam, et sancti et apostoli et prophete, quoniam iudicabit Deus iudicium de illa [Ap 18,19-20].

Saepe diximus mare istum mundum dici. Naues in mari ex caritate eius, omnes amatores mundi sunt ; qui ⁵² haec ciuitas una hora deserta est. Quia quandoque finem istius mundi habebit, hora ⁵³ enim finem dicimus, que omne tempus istius saeculi esse non dubitamus, sicut scriptum est. Nouissima hora est. Numquid super unam ciuitatem exultat celum, et sancti et apostoli et prophete aut sola ciuitas in omni mundo persequitur aut persecuta est seruos Dei, ut ipsa extincta uniuersis uindicetur ? Sed haec ciuitas omnis omnino mundus est, et qui in praeuaricatione positi sunt ; ipsa est ciuitas. quae et diaboli dicitur.

INCIPIIT DE EADEM CIVITATE DIABOLI.

Et ⁵⁴ tulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare et dixit : *Hoc impetu mittetur Babilon illa magna ciuitas, et ultra iam non erit. Et uox citharedorum et musicorum et tibiis* ⁵⁵ *canentium, et tuba non audietur in te amplius ; et omnis artifex omnis artis non inuenietur amplius, et uox mole non audietur in te amplius ; et uox sponsi et sponse non audietur in te. Quoniam mercatores tui erunt principes terrae. Quoniam in beneficiis tuis errauerunt omnes gentes, et in illa sanguis prophetarum, et sanctorum inuentus est, et* [fol. 197 b] *omnium occisorum super terram [Ap 18,21-24]. FINIT STORIA.*

[fol. 197v°] **Illustration : L'Ange à la meule (Ap. 18, 21-24) :**

Dans la partie supérieure : l'Ange en vol jette une meule dans la mer parcourue par des poissons.

Au-dessous, les murailles et les tours d'une cité dont les portes sont grandes ouvertes.

[fol. 198] : **Illustration : Page décorative :**

9 quadrupèdes réalistes ou légendaires et 2 oiseaux dans les cercles jaunes.

[fol. 198v° a]

INCIPIIT EXPLANATIO SVPRASCRIPTE STORIAE.

Et ⁵⁴ tulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum et misit in mare. **Et dixit : Hoc impetu mittetur Babilon illa magna ciuitas, et ultra iam non erit [Ap 18,21].** Ecce instar perditionis eius in emissionem lapidis, et impetu figuratur. **Et**

52. i suscrit.

53. h ajouté en interligne d'une autre encre.

54. Initiale rehaussée de couleurs en partie rentrante sur deux lignes.

55. tibia corr. en tibiis.

uox citharedorum et musicorum et tibia canentium et tube non audientur ⁵⁶ in te amplius [Ap 18,22].

Iocunditatem dicit transire impiorum, et etiam non inueniri, et adiecit causam dicens: **Quoniam mercatores tui erunt principes terrae** [Ap 18,23]. Id est quoniam in uita tua percepisti bona. **Quoniam in beneficiis tuis errauerunt omnes gentes, et in illa sanguis prophetarum et sanctorum inuentus est, et omnium occisorum** [Ap 18,23-24]. Numquid ⁵⁷ eadem ciuitas occidit apostolos ⁵⁸ et prophetas aut omnes? Sed haec est ciuitas que Cain ⁵⁹, fratris sui sanguinem fudit. Et uocabit nomen filii sui Enoch, id est omnis posteritatis suę.

Sed quid est quod Cayn sacrificitium ex terrae fructibus reprobatur? Abel autem sacrificitium ex ouibus et earum adipe suscipitur? Auertit Deus oculos a sacrificio Cayn, quia non fuit caritas in Cayn. Et nisi esset caritas in Abel, non acciperet Deus sacrificitium eius.

Nemo putet quod Deus fructum terre neglexerit, et fetus ouium dilexerit. Non intendit Deus ad munus, sed in corde uidit. Et quem uidit cum caritate offerre, ipsius sacrificitium respexit. Quem uero uidit cum inuidia offerre, ab ipsius sacrificio [198v° b] oculos auertit. Cum utrique offerrent descenditque ignis super sacrificitium Abel, et non descendit in munera Cain. Hęc sunt duę ciuitates, una Dei et una diaboli. Nam septem generationes descriptę sunt Cain; in eius ciuitatis aedifitium funditur omnis sanguis iustus. A sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zacchariae, id est populi et sacerdotes in medio templi et altaris, id est inter populum et sacerdotes. Alia enim non fuit causa ut haec diceremus, nisi ut duas ciuitates ostenderemus. Ecce duo filii in una domo patris et matris, unus simplex oues simplices pascit, et in campo scripturarum discurrit, et alius ciuitatem facit, quia ibi habet spem in terram, ubi oculus corporis figit. Hęc est ciuitas que interfecit prophetas et lapidat missos ad se. Haec est ciuitas, que sanguinem contrahitur. Uę qui edificant ciuitatem in sanguinibus et parant ciuitatem in iniusticiis, nonne hęc sunt apud Deum? Et que sit ista ciuitas, idem Dominus probat dicens: Audite itaque haec doctores Iacob, et reliqui domus Israel, qui aspernimini iuditium, et omnia recta peruertitis; et ⁶⁰ qui edificatis Sion in sanguinibus, et Iherusalem in ⁶¹ iniusticiis, et ⁶⁰ qui principes estis eius, in hac ciuitate singulorum offitia singillatim supra disseruit, uel non audienda haec in ea ultra disposuit. Propter quam causam sic iudicetur, intersserit in ea dixit *sanguis prophetarum et sanctorum inuentus est, et omnium, quia in te perfecti sunt super terram* [Ap 18,24]. FINIT.

INCIPIT STORIA DE CIVITATE DEI.

[fol. 199]

Post ⁶² hęc audiui quasi uocem magnam tubarum ⁶³ in celo dicentium alleluia, salus et gloria et uirtus Deo nostro; quia uera et iusta iudicia eius sunt; quia

56. n ajouté en interligne.

57. i ajouté en interligne.

58. que effacé.

59. m final gratté.

60. et ajouté en interligne.

61. in ajouté dans la marge.

62. Le texte, écrit en pleine page, est très effacé.

63. turbarum corr. en tubarum.

iudicabit et de meretrice magna que corrupit terram in fornicatione sua, et uindicabit sanguinem seruorum suorum de manu eius; et iterum dixerunt alleluia; et fumus eius ascendit, in saecula saeculorum. Et ceciderunt uiginti ⁶⁴ quattuor seniores, et quattuor animalia, et adorauerunt Deum sedentem in throno, dicentes: amen et alleluia. Et uox de throno exiit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, et qui timetis Deum, pusilli et magni.

Et audiui quasi uocem tube, magne, et sicut uocem aquarum multarum, et sicut uoces tonitruorum magnorum dicentium alleluia; quoniam regnabit Dominus Deus noster omnipotens; gaudeamus, et exultemus et glorificemus

Illustration : Adoration de Dieu au ciel (Ap 19, 1-10) :

Partie supérieure : Dieu en majesté dans un cercle entouré des symboles des quatre évangélistes. CHRISTUS DOMINUS.

Partie inférieure : Au sommet : UBI QUATUOR ANIMALIA ET XX^{ti} III^{or} SENIORES ADORANT TRONUM. Tout autour, les 24 Anciens, mains jointes, se prosternent devant le trône. Tout en bas, Jean tombe aux pieds de l'ange qui s'efforce de le relever : UBI IOHANNES CECIDIT AD PEDES ANGELI.

[fol. 199v° a] *nomen eius, quoniam uenerunt nuptiæ agni, et uxor eius praeparauit se, et datum est illi ut cooperiatur bissino ⁶⁵ splendens candido ⁶⁵, et dixit michi : Scribe :*

Beati qui ad cenam nuptiarum agni uocati sunt. Et cecidi ad pedes eius ut adorarem eum.

Et dicit michi : Uide ne feceris; conseruus tuus sum et fratrum tuorum, habentium testimonium Ihesu, Deum adora [Ap 19,1-10].

INCIPIT EXPLANATIO SUPRADICTE STORIE...

Post ⁶⁶ hec audiui quasi uocem magnarum multarum in celo dicentium alleluia; salus et uirtus, Deo nostro, quia uera et iusta iudicia sunt eius, quoniam iudicabit de meretrice magna que ⁶⁷ corrupit terram in fornicatione sua, et uindicabit sanguinem seruorum suorum, de manu eius. Et iterum dixerunt alleluia, et fumus eius ascendit in saecula saeculorum [Ap 19,1-3]. Ecclesia dicit, cum separatio facta fuerit in diem iudicii, et cum apertius uindicata; exultare sanctos super perditionem preuaricatricis ciuitatis, aduertimus et laudare Dominum in iubilo laudis adtendimus.

Quid hoc aliud nisi malorum retributio, et bonorum remuneratio esse describitur? Hoc est aliud, quod Daniel dicit.

Quod alii resurgunt ad uitam æternam, alii in opprobrium sempiternum, ut uideant [fol. 199v° b] semper. Inde est illud quod dicitur: fumus eius ascendet in saecula saeculorum. Denique ut sanctorum leticia apertius declaret, adiecit:

Et ceciderunt uiginti quattuor seniores et quattuor animalia, et adorauerunt Deum sedentem in throno, dicentes alleluia [Ap 19,4]. In affectum boni amoris sanctorum corda conuersa sunt, et pro exultatione et iocunditate perceptarum promissionum adorauerunt Deum in laude dicentes:

64. et gratté après uiginti.

65. um final corr. en o.

66. Initiale rehaussée de couleurs en partie rentrante sur trois lignes.

67. qui corr. en que.

Et uox de trono exiuit ⁶⁸ dicens : Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, et qui timetis Deum pusilli et magni [Ap 19,5]. Non ergo potest ulla creatura laudare Dominum, nisi de trono Dei munus ⁶⁹ laudationis acceperit, et uocem sanctę inspirationis audierit. Et audiui quasi uocem tubę magne, et sicut uoces aquarum multarum, et sicut uoces tonitruum magnorum dicentium alleluia. Quoniam regnabit Dominus Deus noster omnipotens, gaudeamus et exultemus, quoniam uenerunt nuptię agni et uxor eius praeparauit se, et datum est illi ut cooperiretur bissino ⁷⁰ splendenti ⁷¹, candido ⁷⁰ [Ap 19,6-8]. Uxor ⁷² agni Ecclesia est. Bissinum enim iustificationes sunt sanctorum, post conlatam gratiam, post auditam orationis uocem.

In magnitudine proclamatum est, et quasi uox tonitruorum audita est dicentium laudes Deo exultantium, eo quod nuptię agni uenerunt. Hoc factum est in diem iudicii, quando post consumationem mundi euacuauerit principatus et potestates et tradiderit regnum Deo Patri, ut sit Deus omnia in omnibus ;

[Un folio a disparu entre les fol. 199 et 200 : il contenait la fin du livre, restituée ici d'après l'édition de Sanders, p. 588-590] :

quando uxor eius, hoc est ecclesia catholica, fidei illi puritate coniungitur, de qua beatus dicit apostolus : *spondi enim vos uni viro virginem castam exhiberi Christo. 9* denique bissum, quod induitur, non pro uestium pulcritudine ponitur, sed pro iustificationes sanctorum. *et dicit mihi : scribe : beati qui ad caenam nuptiarum agni vocati sunt. et cecidi ad pedes eius, ut adorarem eum, et dicit mihi : uide ne feceris, conseruus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Iesu ; Deum adora [Ap 19,9-10]. 10* in initio libri dixerat : *ego sum primus et novissimus, qui fui mortuus [Ap 1,17].* nunc autem dicit : *conseruus tuus sum et fratrum tuorum.* ostendit angelum missum esse in figuram Domini et ecclesiae. nam in finem istius libri dicit : *ego Iohannes misi angelum meum testare uobis in ecclesiis haec [Ap 22,16].*

11 *Testimonium Iesu est spiritus prophetiae [Ap 19,10].* quaerendum nobis est, qui sunt ad cenam agni vocati, nisi quibus dicitur : *non bibam de hoc genimine uitis huius, donec novum illud bibam uobiscum in regno patris mei, qui in caelis est ? 12* haec pro Iudaeos dicebat, *non bibam de hoc genimine uitis huius, donec novum illud uobiscum bibam in regno patris mei.* haec calicem passionis promittebat apostolis, id est, primae ecclesiae, quem et ipse primitus bibiturus erat novum in regno patris mei, id est, in ecclesia. **13** et iterum : *multi ab oriente et occidente uenient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum,* hoc est, in ecclesia. **14** regnum caelorum praesens ecclesia est, in quo per baptismum et passionem saluantur. hoc est novum calicem bibere, nova resurgentium corpora praeparare iustitiam. hi beati sunt, qui ad caenam et ad hoc convivium praeparantur. **15** unde *et dicit uerba ista uera esse omnipotentis Dei [Ap 22,6].* alii enim uerba Dei dicunt, sed uerba non sunt, quoniam ad Deum quidem seductionem loquuntur. et auditis imperiis regalibus et Dei praeceptis cecidit ut adoret eum, qui

68. t final ajouté d'une encre noire.

69. minus corr. en munus par u suscrit sans suppression du i.

70. um final corr. en o.

71. splendens corr. en splendenti.

72. x ajouté en interligne.

loquebatur ei. sed ille, ut et officii promeret qualitatem, et Deum esse super omnia demonstret, prohibuit dicens : ne faceret, *quoniam conseruus tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium Iesu [Ap 19,10].* **16** testimonium Iesu catholicae confessionis est mira professio. *testimonium enim Iesu spiritus est prophetiae [Ap 19,10]* per legem et prophetas, evangelio et apostolis. spiritus enim prophetiae veritas, iudicium, et iustitia est, quae in catholica fidei plenitudine continetur.